

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2348

Autre(s) référence(s) : ARTEM 4559

Auteur(s) : Goscelin, Arques (vicomte)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Amand (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1100...

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte des biens de l'abbaye Saint-Amand.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 55 H 8.

Éditions principales

a. Le Cacheux Marie-Josèphe, *Histoire de l'Abbaye Saint-Amand de Rouen, des origines à la fin du XVIe siècle*, Caen, Société d'impression de Basse-Normandie (BSAN ; 44), 1937, n° II, p. 243-253.

Dissertation critique

M.-J. Le Cacheux propose la datation des XIe-XIIe siècles. Le terminus ab quem du contenu de cette pancarte : vers 1040 (le début de l'abbatiate d'Emma, après la mort de son mari vers 1040) ; le terminus ad quem est fixé la fin de l'archiepiscopat de Raoul de Cantorbéry (1122, 20 octobre).

Texte établi d'après a

1. — IN NOMINE PATRIS ET INDIVIDUE TRINITATIS. Postquam divina apostolorum in omnem terram diffusa, gratia Spiritus Sancti cooperante, plures ad christiane fidei sacramentum, relictis simulacrorum superstitionibus, convocavit, protinus nonnulli sese cum facultatibus suis dominicis subdidere preceptis, plurimi vero omnia que habere videbantur distrahentes precium afferebant et, sicut divina testantur eloquia, ante pedes apostolorum illud ponebant, post hec autem dividebatur prout cuique opus erat. Sic fidelium facultatibus cepit locus divinis cultibus idoneus per mundi climata construi, ad invocandum admirabile nomen omnipotentis Dei. Quorum sacra vestigia ego videlicet Gotselinus, servorum Dei servus, et uxor mea, scilicet Emmelina, cupientes imitari, sanctarum scripturarum quoque ortamentis edocti, pro remedio animarum nostrarum et absolutione propinquorum nostrorum, ecclesie Sancte Marie et Sancti Amandi ejusque sanctimonialibus ibidem Domino famulantibus, res proprietatis nostre concedimus et de propria potestate in donum ejus transponimus, ea scilicet conditione ut sanctimoniales tam future quam presentes pro nobis Deum exorent quatinus misericors Deus veniam peccatorum nostrorum nobis tribuat et ad suam perducatur gloriam. He sunt itaque res quas damus : in foro Rotomagensi unam aream, deinde unum molendinum in Rainelmivilla. Post hec unum concedimus cellarium juxta pontem Sequane positum, in loco qui dicitur Poteria ; prata quoque que sunt apud Ceville Sancte Marie et sancto Amando tribuimus.

Preterea terram cultam, cum silva que est juxta valiem Hercenbaldi et, in monte qui dicitur Cocerel, v. agros ; pari ratione concedimus etiam supradicto monasterio illam silvam que habetur inter aquas scilicet Guarennam et Sedam, cum terra culta que pertinet ad illam. Cum supradictis etiam totum dominium quod hac tenus tenuimus in Maneholtvilla letanter predictis sanctis concedimus, cum ecclesia et molendino, et quicquid habuimus in Montvilla, preter ecclesiam et in Esletis et in Frechenis et in Cardonvilla, Tandem supradictis sanctis concedimus villam que Spinetum vocatur, cum his que pertinent ad illam, videlicet cum terra unius carruce et cum theloneo. Hec sunt que de rebus humilitatis nostre ego et sponsa mea Emmelina in stipendia famularum Dei, pro redemptione animarum nostrarum, sancto Amando concessimus, simulque terram vinee nostre que vocatur Pocerou, juxta Rotomagum, in caritate Dei concessimus.

Quod autem superest, videlicet terram et silvam de Malalneit, quam comes in suo dominio tenebat, hanc ipse per placitum meum donavit Sancto Amando et hoc donum suum per Rodulfum camerarium super sanctum altare beati patris nostri Amandi poni fecit. Cujus rei gratia in servicium senioris nostri comitis date sunt. X.X.X. libre denariorum quas mulieres que ad conversionem venerant de suis proprietatibus ad locum istum contulerant, sed et abbas Nicholaus pro instantibus de his denariis. X. libras habuit.

2. — Ego quoque Emma, dudum conjunx christianissimi viri scilicet Osberni ac memorandi, fidelium dictis atque exemplis ammonita et instructa, pro remedio animarum nostrarum et propinquorum amicorum quoque nostrorum, de beneficiis que gratuita pietate contulit nobis Deus ecclesie Sancte Marie et Sancti Amandi partem concedo, annuente domino videlicet Willelmo, Normannorum duce, et fratre meo Hugone, Baiocensium episcopo, et filiis meis Willelmo et Osberno, ad opus sanctimonialium ibidem famulantium, eo scilicet tenore, quatinus pro animarum nostrarum absoluteione Dei clementiam implorent, ut nos ab omnibus peccatorum nexibus absolutos omnipotens Deus perducere dignetur ad gaudia fine carentia. Nomina autem donorum hec sunt : in comitatu Rotomagensi medietatem ville que dicitur Fraignes, et medietatem ecclesie ejusdem ville, cum omnibus que ad eam pertinent. Preter hoc concedimus illud mansum quod mihi concessit frater meus videlicet Hugo episcopus ; pari ratione donamus duo molendina, unum apud villam que appellatur Periers, alterum apud villam que vulgariter Lumpetaing noncupatur. Item tribuimus XII acres pratorum apud villam que vocatur IIIor Molendina. Sed et extra muros civitatis XVI acres de terra arabili. Willelmus quoque Osberni filius, sua matre concedente, dedit terram de Aba villa Sancte Marie ecclesie et Sancti Amandi, quam tenebat scilicet maridace Maheldis uxoris Radulfi Hachet, et dotam Havise conjugis Radulfi de Evrart Maisnil, et unum hospitem. Testes Gofredus de Magna villa, qui super altare sancti Amandi, ex parte Willelmi Osberni filii, donum posuit, et Hachenon et Hunfridus de Osberni Maisnil, Radulfus de Parfunt Valle et Willelmus Levaslet de Toca villa, Ricardusque de Boivilla et Alvered Coiren beatissimi Amandi. Adhuc etiam dedit terram Turstini de Adelovilla et in Rotomago domos quattuor panificorum. † Concedentis Willelmi comitis et Normannorum ducis † Willelmi filii Osberni.

3. — IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. PAX OMNIBUS ISTA LECTURIS PRÉSENTIBUS ET FUTURIS. Omne quod est aut Deus aut creatura est, sed Creatoris dignitas, omnem sensum excedens et intelligentiam, sempiternae beata in sua permanet magnificentia, creature vero modus trifariam, subdivisus ad hoc nitens dirigitur, ut nutui non refregetur Creatoris et legibus, quibus qui diligenter obsecundaverit lucis inaccessibilis rimator vicinior merebitur adscisci. Quod ego Hugo, Baiocassine urbis Dei gratia episcopus, sollicita perpendens et inhiantis animo concupiscens, ut in civitate. Domini virtutum in monte sancto ejus merear fieri gloriose sanctorum consors, divine voci qua dicitur : Verumtamen date elemosinam et ecce omnia munda sunt vobis, humiliter obtemperans hereditatis terrene ipsum nostri honoris largytorem fieri ratum duco consortem, proinde terram quam vulgo dicunt Bothas cum appenditiis suis videlicet ecclesiam et Bathe Buculum et terram de Serlovilla et terram de Torratoribus et terram Rogerii Malpainsnace et terram Goscelini Belatita, Christo et sancte ejus Genitrici atque sancto Amando ob salutem anime mee largyor, in loco urbis Rotomagensis de nomine ejusdem Sancti Amandi nuncupato ad victum ancilarum Dei ibidem congregatarum quibus preest abbatissa. Emma, et spiritu et carne soror mea, quam largitionem litteris ad futurorum noticiam mandare decrevimus et nostre auctoritatis signo contra perfidorum violentias roborare statuimus, ubi et anathematis dampnatione omnes hujus cartule prevaricatores eternaliter nisi resipuerint ferimus et a Christi sanctorumque ejus consortio sequestramus. Hujus itaque privilegii testes et adstipulatores sunt hi : Hugo Pincerna, Anfridus Alabarba, Godeboldus Telonearius, Willelmus Cornola, Grentelmus filius Radulfi. † Willelmi comitis et Normannorum ducis. † Hugonis episcopi. † Malgerii, archiepiscopi.

4. — Balduinus, filius comitis Gisleberti, dedit decimam de Moles Sancto Amando pro matre sua. Hujus rei testes sunt hi scilicet Ricardus frater suus et Hugo Pincerna.

5. — Ricardus del Belfou dedit sancto Amando ecclesiam de Almanvilla et omnem decimam que ad eam pertinet et unum feudum laici quod Anschitillus pater tenet pro filiabus suis.
6. — Willelmus de Clivilla dedit Sancto Amando quartam partem de Pulceid pro filia sua. Robertus autem frater ejus alteram quartam partem cum ecclesia ipsius ville et que pertinent ad ecclesiam. Harum donationum signum † Willelmi comitis et Normannorum ducis.
7. — Hunfridus de Bochun dedit decimam proprie carruce sue et unum ortum predicto sancto pro se et III mulieribus suis. Cujus rei testes Renaldus, camerarius, Willelmus, clericus, et Robertus, frater ejus, de Belfou, Restoldus, presbiter de Beuron. † W. comitis et Normannorum ducis.
8. — Cum prescriptis beneficiis illud etiam in hoc privilegio annotatur donum quod Rogerius filius Hugonis, episcopi Constancie urbis, ecclesie gloriose Virginis Marie et beati Amandi Christi antistitis que est infra muros urbis Rotomagi concessit, quando filiam suam videlicet Emmam Christi obsequio mancipavit. In comitatu Talooi hoc mansum quod vulgo vocatur Herburmaisnil, predictus Rogerius dedit cum uno molendino, in eadem comitatu terram que dicitur de La Mara prefate ecclesie tribuit, quam nunc tenet Walchelinus, preter hec terram quam nunc Tuoldus presbiter et frater ejus Turchitillus tenent, cum his que pertinere videntur ad illam donat Rogerius. In hoc dono habetur una piscatoria que de censu. XV. solvit solidos monachis sancti Dionisi unoquoque anno. In hoc etiam privilegio anno tantur tres acres terre quas Osbernus Gauai sancte Marie et beato attribuit Amando, quando filiam suam monialem consecravit domino. Hoc autem Stigandus, dapifer, dominus Osberni, concessit ut et ipse beneficiorum loci particeps efficeretur. Hujus rei sunt testes Robertus filius Hungeri et Rannulfus Monetarius et Osbernus filius ejus. † Willelmi Normannorum comitis. † Rogerii puella patris. † Roberti scriptoris. Signum Ansfridi.
9. — Gulbertus tribuit in monacharum sancti Amandi presidio possessiones quas in Lanbertivilla et in Sedana ex alodio sue conjugis, quando effecta est monacha, videlicet tres ecclesias et homines liberos rusticosque et duo molendina, terras, aquas et nemora. † Willelmi comitis et Normannorum ducis † Nicholai de Bascavilla. Testes hujus rei sunt isti Seufredus capellanus et Wigerus, homo Nicholai, Radulfus Crispinus, Torstinus filius Wigrini et Walcherus Malpasnace. Signum Gisleberti presbiteri.
10. — Anno. V. regni. Willelmi, regis Anglorum et Normannorum ducis. concessit ipse Sancto Amando de omnibus rebus quas in Rotomago habent sanctimoniales, ita per omnia liberas consuetudines sicut Sanctus Audoenus habet suas res. Preterea concessit sancto Amando. III. viros panificos ab omni servitio suo quietos et liberos et moltam suam, sed et moltam similiter omnium civium Sancti Amandi et teloneum et exitum. Signum † ipsius regis ; hujus rei testes sunt Hugo Pincerna, Willelmus filius Osberni et Stigandus dapifer et Radulfus de Montpincon, ex parte Sancti Amandi, Robertus de Botes et Turstinus filius Wilgeri, Walcherus.
11. — Ego Geroldus, miles Christi, pro salute anime mee et parentum meorum, concedo sanctimonialibus Sancti Amandi ecclesiam de Rolmari et omnem decimam. Dono etiam quinque agros terre. De equabus igitur et vaccis, de porcis quoque ac de ovibus decimam ejusdem ville concedo sanctimonialibus. Preterea IIIor hospites in Gunnovilla tribuo. De IIIor molendinis quorum duo habeo in villa que dicitur Duim et II. in altera que dicitur Barentin, decimam sancte Marie et sancto Amando concedo. Cum supradictis donis de teloneo quod habeo apud Archas decimam tribuo. De mercato simul quod habeo apud Duim decimam dono. Hujus rei sunt testes Michahel, episcopus Abrincensis, Alannus rufus, Rogerus de Monte Gomerico, Radulfus filius Herluini, Hugo Broc. Pro istis rebus concesserunt sanctimoniales Heroldo [et Emme uxori sue que jacebat in cimiterio predictae ecclesie et antecessoribus suis participes fieri omnium beneficiorum ejusdem ecclesie], attestantibus his Osberno [en interligne : de novo foro] Waltero [sacerdote], Roberto [de Botes] Drogo [de Peissei] † Geroldi † Willelmi, filii ejus † Willelmi, regis Anglorum † Mathildis, regine † Roberti filii Geroldi.
- Ego Johannes, sancte romane ecclesie apostolicus, hoc privilegium propria manu affirmo signo crucis † dominice. Si quis injuste hoc destruere voluerit damnatus et excummunicatus atque maledictus pereat cum Iuda traditore, cum Herode et Anna atque Caipha et cum his omnibus qui in inferno deputati sunt. Fiat, fiat, fiat.
12. — Iohannes, archipresul, dedit Sancto Amando in ejus dedicatione. III acras pratorum.
13. — Ego Willelmus, Anglorum rex, concedo quod Mauritius, Londoniensis episcopus, dat Sancto Amando de Rotomago decimas quas habuit in forestis de Halieriomonte et de Alwit, tam in essart quam in denariis, et decimam denariorum de Barbato Fluvio et decimam de Sancto Iacobo, et jubeo et affirmo ut Sanctus Amandus hec omnia bene habeat sicut Mauritius, episcopus, melius habuit. Teste Willelmo, filio regis, et Roberto, comite Moritoniensi, et Eudone, dapifero, et Roberto dispensatore. Signum † Willelmi, Anglorum regis † Willelmi [filii regis] † Roberti [comitis de Moretum]. † Eudonis [dapiferi]. † Roberti [dispensatoris]. Rogerius [de Petravilla]. Frodmundus [similiter]. Amandus [de Botas]. Gosfredus [de Osulvilla]. Gislebertus [de Varena]. Rainaldus, Robertus [filius Willelmi]. Rogerius [filius Nicholai] Signum † Hugonis, comitis de Cestre. Signum † Willelmi, archiepiscopi. Signum † Gisleberti de Aquila. Signum † Gualteri, filii Ricardi.
- (Au verso de la pancarte :)
14. — Ego Mathildis, regina, annuente Willelmo, Anglorum rege, concedo Sancto Amando de dotario meo in Maintrud terram unius carruce et III ortos in eadem villa et unum ospitem Alpeidis et campartem de culturis meis

propriis de Maintrud et de Bures et de Hulmoid. Hujus rei testes sunt Hugo Pincerna, Radulfus de Mont Pincon, Seifridus de Valle, Turstinus filius Wigrin. Signum † Willelmi regis. Signum † Mathildis regine.

15. — Ego Willelmus, Anglorum, concedo Sancto Amando et sanctimonialibus mercatum unum in Sedana, unaquaque ebdomada, die dominica. Hujus rei testes sunt Mauritius, cancellarius, Ivo Tailge bosc, Eudo, dapifer, Rainoldus, frater abbatisse.

16. — Willelmus, nobilis comes Warenne, et uxor ejus Helisabeth Sancto Amando, ad luminare ecclesie, pro redemptione animarum suarum XXti solidos unoquoque anno de teloneo Belencunbre donant. Hujus rei testes sunt Robertus filius Stephani et Rainaldus, frater abbatisse, et Odo Cocus et Gislebertus et Rotbertus, capellani, et Eustachius, ejusdem comitis dapifer †.

17. — H., rex anglorum, vicecomiti de Valle Rodolii, salutem. Precipio quod moniales de Sancto Amando ita bene et plenarie habeant liberationem de elemosina mea Rodolii, sicut unquam aliquis antecessor illarum eam melius habuit. Et hoc habeant a die illa qua Iohannes Rubi, presbiter, antecessor earum, fuit mortuus in antea. t. Radulfo, archiepiscopo Cantuariensi, Rannulfo, cancellario. Apud Rothomagum.